

ejus annuæ, quas etiam ob prædictionum insanam licentiam & infelicitatem tetigit Naudæus. Obiter, hic noto Franciscum Junctinum S. Theol. D. Florent. in speculo Astrologico (f) Lugduni anno 1577 in publicum emisso, eundem, quem Gauricus arbitrabatur, Conceptionis & Nativitatis Christi annum, mensem, diem, ac horam statuisse, atque non solum idem cum Gaurico Thema genethliacum erexisse, sed etiam omnem suum discursum ferè verbotenus è Gaurici Calendario exscripsisse: Quare operæ pretium non fuit, ut separatim de eo, ejusque insanâ curiositate ageremus.

§. IX.

Sub Fig. IV. exhibemus B. L. aliam coeli faciem, ut terram aspexit tempore Nativitatis Christi in Horizonte Bethlehemitico, cujus auctorem licet ignoremus, tamen in eo certissimus, quod CALCULUS juxta receptam Ecclesiæ traditionem, nimirum ad annum Mundi 3967 die 25 Decembris, nocte media, quo tempore plerique Mathematici Christum olim natum fuisse existimarunt, EX TABULIS PRUTENICIS institutus sit. Habetur hoc coeli speculum cum apud Buntingum (g) tum præcipue apud Joh. Gregorium Anglum, (h) quem hæc in parte Astrologorum turbæ addictum fuisse vix dixeris, cum Cardano spississimum hunc errorem non sine horrore opprobret. Instituit tamen circa hoc Schema Domini quandam comparisonem, (1.) quod sol Justitiæ aptissimè natus sit in libra, tanquam signo & constellatione justitiæ. (2.) Quod Horoscopus Salvatoris Horoscopo mundi contrarius sit. (3.) Quod hoc tempore conjunctio magna Sphærarum octavæ & nonæ in capite arietis acciderit: ex quo ulterius infert, quod ut in principio mundi omnia erant extra sua domicilia, ita in restitutione mundi inveniantur in propriis locis. An rectius egisset Gregorius, si totam geneseos Christi constellationem superstitiosis Astrologis reliquisset, decisionem è re mea esse non arbitror.

§. X.

Magis hic in suspicionem venit HENR. BUNTINGUS, Gronovienſium Theologus, qui sub finem seculi XVI. ob variæ eruditionis edita specimina inclarescere coepit. Hic vero ne celebri suo nomini quasdam obduceret tenebras, potuisset supersedere vanitatibus astrologicis, quas alias, quantum è scriptis ejus constat, non magni fecit. Verum, quæ est hominum curiositas, etiam hic ad momentum genituræ Christi (quod ponit anno Mundi 3967. die 29. Mensis Cisleu, feria 6, qua Solstitium hyemale

(f) Tom. post. Comment. in IV. cap. Sphæra de Sacro Bosco p. 894. (g) In Chronol. p. m. 212. (h) Cap. 34. in notis ac observationibus ad Loca quadam S. Scripturæ, quæ inserta sunt Tom. IX. Bibl. Cris. p. 2826. sqq.